

PAVLIO  
VII NOVO CO-  
MENSIS EPISCOPI  
Nucerini ELOGIA virorum bellica  
virtute illustrium ueris imaginibus  
Supposita, quæ apud Museum  
spectantur, in libros se-  
ptem digesta.

*Nobis hinc Augustinianus C. ad.*

Doctorum item virorum ingenij monumentis illis  
atrium ab Avernum memoria publicatio, al-  
tero sensu comprehensa.

*f. lucas stoyenck Prior*

*Academie der Künste*

BASILEAE,

M. D. LXXI.



## Sub effigie Tristani Acunij Lusitan.

**H**AC honesta canitie uiridis adhuc scene  
et, cultuq; nobilibus margaritis pi-  
cto, ac internitente paſsim insignium  
gemmarum fulgore, ſupra quam dici  
pojet ornatusimo Triftanum Acuniū Emanuelis Lu-  
ſitaniae regis legatum uidimus, quū Flumentana por-  
ta p̄cunie elephanto in urbem inueheretur: Indicē  
uictorie ſua trophya oſtentās, donaq; afferens Leoni  
Pōtifici, ut ſupremē Fortune decus preclara magni  
numinis prouidentia ad felicitatem ſeculi collatū gra-  
tularetur, quando cum etiam tanquam ſacrorū pri-  
cipem rite creatū, religioſe atq; ſuppliciter uenerari  
iubebatur. Munera fuere planetae, ex pluviales, Dal-  
maticaq; ueftes, unius ſolennibus ſacris dicatae, quas in-  
numerabiles margarite Phrygijs ſoperib. intertexta  
mirabiliter adornabant. Prorex ſiquidem in India  
Triftanus multas ſibi pretiosiores diuitias congeſſe-  
rat, p̄claris rebus cum grauitate p̄fiantis impe-  
nij, tū bellicosa manu gestis: adapertis ſcilicet aut in-  
ſtitutis Indice negociaſionis emporijs ultra Calecu-  
thum uſq; ad opulentissima Cambaiae, Narsinge, &  
Bēgalæ regna: paſſimq; per oram amicitias iuxerat,  
tributaq; aromatiū imponens, ultra Gangem Lufita-  
ni nominiſ famam propagarat. His rebus gestis re-  
deuentem ad triumphū ſuperantemq; extrellum Ae-  
thiopicę promontorium, quod nautæ Bone ſpej uo-  
cant, rapidiſimi Aquilones ultra circulum Antartici-

tum tanta uis propulerunt, ut in uasto pelago longissimi tractus terras adierit, quas non ingentis insule, uerum eius continentis immense regionis que ad Peruviana et Cuscan regna connectitur, esse crederet: quam nemo tamen preter eum bastenus inuenierit, non secus ac Magalano accidisse uidemus, qui per angustas quasdam fauces in occidentalem Oceanum circum uito toto terrarum orbe, stupenda nauigatione penetravit. Sed Elephantus aurea instratus stragula, et turrito ephippio Indos homines gestans in se admiratis populi ora conuerit, quoniam extenta proboscide eaq; nemini noxia, et passu ad modulos tibiarum temperato iocundissime lasciuiret. Obstupeuit in sancte molis bellua Romanus in primis populus, et suburbanae gentes, tam docile ingenium, humaniusque adeo sensibus propinquum; quod magistri sceptro ferreo imperantis uocibus parceret, uenerarique principem et augustiore habitu homines certo gestu uideretur; circumfusaque puerorum turbæ adulatri didicisset. Ceterum Elephas publicæ hilaritati oblectamentum, uix toto biennio Romani coeli lucem uel diuersæ passionis intemperiem perferre potuit; quum fluente alio paucissimis diebus interiret. Eius mortem plebs tota non secus ac incomparabiliter ciuis diu luxit, quod communis omnium uoluptas que ad famam dignitatēmque Urbis pertineret, immaturo aliquim uinacissime bestie interitu, crepta uideretur. Ob id Leo Pontifex non obscuræ propriis extincti fatis subiratus, ut populi defi-

derium, quanquam inani picture solatio delimiret,  
Elephantum simillima effigie mensuraq; membroru  
iuxta turrem Vaticanæ portæ pingi iussit, cui ex hoc  
quoq; Epigramma inscriptum est.

### Beroaldi Iunioris.

Monte sub hoc Elephas ingenti contegor ingens,  
Quem rex Emanuel deuicto Oriente, Leoni  
Captiuum misit decimo: quem Romula pubes  
Mirata est, animal non longo tempore uisum  
Vidit ex humanos in bruto pectore sensus.  
Inuidit Latij sedem mibi Parca beati,  
Nec passa est ternos domino famularier annos.  
At quæ sors rapuit natura debita nostra,  
Tempora, uos superi magno accumulate Leoni.

At rex Emanuel ad extendendam subactæ ab se Is  
die laudem dignum fama sua ratus, si recentis munc  
tis gratiam nouo munificentie officio cumularet, rhinocerontem etiam misit, qui ex itinere longissima na  
vigationis, in littus provinciae Narbonensis exposi  
tus, insigni Gallie spectaculo fuit. Erat hæc bellua  
paulò humilior elephanto, si altitudinem spectes,  
sed longitudine propè par, nostratis bubali formam  
referens. nam ungulas habet bisulcas, uerùm tergo  
re buxei coloris, eoq; ab impenetrabili duritate dupli  
cato, tanquam perpetuo thorace protegitur; arma  
turq; pedali osse cornu supra nares eminente, qua  
fricare sub utero, atq; transfodere elephantem pecu  
liarem

larem suum et internecimum hostem solet, si tamen  
 iniecta ad collum et oxyssimè strangulantis probo-  
 scidis uim effugiat; nam in cōgressu perpetue simul-  
 tati, aut parta uictoria, aut certè decora morte satis-  
 facit. Sed hanc inusitatè feritatis belluam, que in are-  
 na Amphiteatri elephanto ad stupendum certamen  
 committi debuerat, Neptunus Italie inuidit, et ra-  
 puit, quum nauigium quo ad uehebatur, Ligusticis sco-  
 pulis illisum, impotentis tempestatis turbine mersum  
 perijsset: eo grauiore omnium dolore, quòd bellus  
 Gangem et Indum altissimos terræ patriæ fluos  
 tranare solita, in ipsum littus supra portum Veneris,  
 uel arduis saxis asperrium enatare potuisse crede-  
 retur, nisi compeditus catenis ingentibus, nihil pro-  
 ficiēte euadendi conatu superbo maris Dea ceßisset.  
 Ferunt hunc rhinocerontem, quum ab Oceano Vlyx  
 ponēsi in portu exponeretur, aspectu atq; odore suo  
 elephantum Romano grandiorum, qui tum erat in  
 Regia, usq; adeò truculenter terruisse, ut elephas ipso  
 naturæ miraculo præcipius hostis, concepto incre-  
 dibili pauore, septum caue ferreis ingētibus clavis  
 permunitum, humerorum et capitis præcipiti impul-  
 superruperit, et in longam se proripiens fugam, ter-  
 ribiliq; baritu edito, stridens et furens cuncta obuia  
 prostrauerit. Vtriusq; belluae imagines ex uera natu-  
 raliq; magnitudine picturis expressæ, in ipso Musæi  
 nostri atrio spectantur, cum hac inscriptione singulis  
 uersiculis animantium naturam demonstrante.

*Humanos Elephas retinet sub pectore sensus,  
Rhinoceros nunquam uictus ab hoste redit.*

**Antonij Sanfelicij de Rhinocerote.**

*Rhinoceros ego sum fusco deuectus ab Indo.  
Hinc, ubi uestibulum lucis portaeq; dici,  
Hesperie classem ascendi temeraria uela,  
Ausা nouas terras, aliumq; inuisere solem.  
Spectarat quondam urbs nostros im munere circi  
Congressus, hostemq; elephantum obiecit arena.  
Hic patrias iras, eternaq; prelia mecum  
Exercet fidens immanni corpore moles.  
At loricamur triplici nos tergore, et arma  
Præualidus mucro, atq; invicta cuspide cornut.  
Ipse cadit Barrus, dum telum figitur alio,  
Expugnat uires stultas prudentia solers.*

**P A V L I**